

tingere citati ostendunt per varios textus, qui contrarii videntur, discurrendo: quod præsertim exequitur P. Suarez. Idem autem in casu, de quo loquimur, etiam contingere ex eodem fundamento constat; nulla enim lex de hoc statuens, priuationem ita indicit, vt sententiam saltem declaratoriam necessariam esse videatur inficiari.

*Rationes alia.* 138 Accedunt aliorum rationes pro eodem: Nauarrus in Manuali Cap. 23. num. 67. ex eo arguit, quod eleganter profequitur P. Bauny supra Assert. 1. s. Tertio, Nimum. Quia ab humanitate, quæ hominum est propria, abhorret, vt quis contra se jus dicat, in se ipsum læniat, sibi pœnam statuat, aut statutam à iudice effectui tradat: quod eum tamen facere esset necessarium, si esset opposita sententia vera. Quod quidem licet generaliter verum habeat, in casu nostro robustius vrget, vbi quod relinquitur, tantum dignitatis, & emolumenti habet, vt cum illud viri litterati comparant, se felicissimos arbitrentur. Deinde citatus Auctor sapienter in hunc modum philosophatur: cum id agere pauci probabilis admodum coniectura sint animo inducturi, de se vt pœnas sumant, de eo mandatum dare, esset eorum conscientis laqueum iniicere: quam non est ergo probabile legi pœnali quemquam debere obsequi, nisi post sententiam. Qui discursus in causam præsentem quadrat aptissimè. Quid enim ex his, de quibus loquimur, erit, qui dignitatem tantam, nullo impellente, deponat? Et certè viri docti, & Christiani sic fecisse comperiuntur, vt ex eo etiam aliquod posset positioni isti firmiter mentum accrescere, vt ea possit sine conscientie remorsu sustineri. Quæstionculæ aliquot circa hoc, quia forum conscientie non ita spectant, videri possunt apud Dom. Solorzanum in Politica citato cap. 9.

*Ex Nauarro.*

*Ex P. Baunio.*

**S. IV.**

*Quid de Filijs ex occulto coniugio natis.*

*Filios ita educare, vt parentes non agnoscant, inhumanum videri.*

*Cassiod.*

139 Illud, de quo ipse nihil differuit, quætionem merito videtur exigere; quod ad filios attinet occulti matrimonii tempore procreatos. Cum enim vt tales tractari nequeant, ne coniugium detegatur, neque filii ipsi quandoque parentes agnoscant, etiam in grandiori ætate, in eo quoddam inhumanitatis genus apparet, & naturalis ponderis violenta retardatio. Videmus in animalibus recens natos partus matres agnoscere, & inter gregis numerum confusum, eas quærendo dignoscere; & ita pro quodam quasi naturæ prodigio habetur, si tale aliquid in nonnullis non reperitur. Pro quo iuuat Cassiodorum audire sic loquentem Lib. 2. 19. *Ferarum catuli sequuntur parentes; à cespite suo virgulta non discrepant: propago vitis propria seruit origini: & discrepat homo à suo suscipio? Perditibus etiam mos est oia perdit per alterius matris damna sarcire: vt adoptione alienæ sobolis incommoda sua reparant orbitatis. Sed mox vt nati fiduciam habere cœperint ambulandi, ad campos exeunt cum nutrice; qui vt fuerint maternæ voce commoniti, onorum suorum potius genitricem petunt, quamuis ab alijs furtiuis seribus educantur. Sic ille: eà in exordio exclamatio vsus:*

*Quis possit accusare iam reliqua, si pietatis nomina probantur esse crudelia? Naturæ ipsius illa vox est apud Virgilium. Eclogâ. 4.*

*Virgilius.*

*Incipe parue puer risu cognoscere matrem.* Reddit autem statim rationem, nam eo risu fastidia gestati vteri videntur matri compensari.

*Matri longa decem tulerunt fastidia menses.* Pergit item vates infelicitatem denuntians, si non incipiat cognitionem à risu parentum auspicari, sic dicens:

*Incipe parue puer. Cui non risere parentes, Nec Deus hunc mensâ, Dea nec dignata cubili est.*

Simplicior intellectus, vt & lectio, nam alii habent. *Qui non risere parentes:* vt risus parentum risui recens nati respondeat: & quando hic risu illos cognoscere incipit, incipiant & illi risu cognoscere nuntium: in minus, infelix ille, nec mensâ, nec cubili, à Ioue, aut Genio, ac Iunone, fabulosis numinibus condonandus. Pro quo P. Pontanus consulendus. Infelicitas ergo filiorum fat magna est suos parentes ignorare; sicut & insignis parentum crudelitas se illis non reddere manifestos, sed vt alienos tractare struthionis adinstar, de quo Iob 39. v. 16. *Duratur ad filios suos, quasi non sint sui. Quin & ex claris orti parentibus, spuriorum iniquâ fortunâ premuntur: tales enim dicuntur, quia sine patre, vt apud Grammaticos vulgare; sine patre inquam noto; vt habere incognitum perinde ac nullum habere veniat æstimandum.*

*Ab ortu ipsorum mutua cum risu debet esse cognitio.*

140 His accedunt alia ex juris vtriusque dispositione. Nam exponens filium, si sponte id faciat, repetere eum nequit, *Nec enim dicere poterit, quem parentem contempsit, sic habetur, L. Prima, & secunda. C. de Infantibus expositis.* Glossa in Cap. Si Expositus, 87. distinct. vbi pereuntem dicit, qui à parentibus ita abiicitur, vt eisdem non agnoscat, nam perire dici aliter nequit, cum ided exponatur, ne pereat, sed pietate alienâ subleuetur. Et id quidem ad tempus, quandoquidem de eo agitur, qui conatur repetere, non ergo filium voluit à se perpetuo separare. Cap. Expositus, distinct. citata: idem statuitur sed cum moderatone, de qua ibi. *Confessionis (inquit) penitus Epistola, vt si is, qui collectus est, intra decem dies quasiustus, agnitusque non fuerit, securus habeat, qui colligit. Sanè qui post prædictum tempus calumniator extiterit, vt homicida Ecclesiasticâ districtione damnabitur, sicut Patrum sanxit auctoritas.* Ex Concilio Toletano 4. Cap. 71. vbi dici nequit, id propterea statui, quia alimenta denegantur: nam ea possunt à repetente exigi, & soluere ille paratus esse potest; cum etiam stare possit, vt nulla propterea debeatur compensatio, si puerorum educatio ex pietate procedat, vt videri potest apud P. Fragosium Tom. 3. pag. 33. num. 129. Pro quo hæc dici possent.

*Exponens filium, ne quis eum repetere. Ex quo arguitur.*

*Moderatio ex Cap. Expositus*

141 Primò, ita suspensum tenere filium, vt toto vitæ tempore patrem non agnoscat, graue peccatum esse videtur. Probatur ex dictis; quia id contra omnia naturæ iura esse videtur, & ita à legibus indicatur. Item filius priuatur bono maximo contra id, quod paterna pietas exigit; priuatur namque agnitione parentum, quæ maxime connaturalis est hominibus, & exoptatissima; ex quâ etiam alia subsequi bona possunt, reuerentia inquam erga illos, jus ad hereditatem, quæ

*Toto vitæ tempore cognitione parentum priuari, graue esse peccatum.*

quæ licet aliâ detur, non tamen vt talis, quod etiam oportet filium non ignorare. Præterquam quod suspensio illa excitare in filio potest graues suspiciones, quod si alius illi assignetur pater; obligatio imponitur specialis obseruantie; ad quam non tenetur, & sic alia accumulari inconuenientia possunt.

*Non ita per tempus aliquod.*

142 Secundo. Per tempus aliquod id tenere secretum, donec scilicet filius ad annos discretionis perueniat, & secretum etiam ipse seruare possit, non videtur lethale crimen habere. Id probò: quia rationes naturalis obligationis videntur cessare: quia ex eo damnum notabile filio non emergit. Item, ex sententiâ satis probabili, iuxta quam pater potest bona aduentitia filiorum ad longum tempus alienare. Videatur P. Rebellus de iustitia Lib. 14. Quest. 5. num. 8. vbi pro illâ Pinellum adducit cui & ipse annuit. Cum præsertim secretum hoc in ipsorum filiorum bonum videatur cedere, quorum interest parentes in officio conseruari. Accedente autem ætate dictâ, nequeunt filij ad secretum obligari, si ipsorum interest illud non seruari; quia est de iuribus naturæ parentum agnitio; nisi quando reuelatio in eorum infamiam redundaret. Quemadmodum filiis à parentibus impeditur coniugium nequit, iuxta dicta num. 134. quia de iure naturali est, sicut nec seruo dominus.

*Bona aduentitia filiorum posse à patre ad longum tempus alienari.*

**S. V.**

*Peculiaris casus disquisitio.*

*Circa negatam filiam, & viri uxoris honorem nuptui traditam.*

*Negatur fieri iuxta conscientia posse, quod in casu proponitur.*

*Vt creditur in testimonio debeat.*

*Cap. Transmissæ qui filij, &c.*

143 Iuxta quæ indicandum occurrit, quod modo sub lite est: Senatori enim cuidam ab æmulo opponitur filiam intra Prouinciam, immo & in eadem ciuitate, in quâ Regia Curia existit, nuptui tradidisse. Sed respondit ille non esse filiam suam, sed vxoris sororem; filiam autem loceri, & foceris, quod & ipsi suis testamentis declararunt. Quid veri res habeat Deus scit; & Senatoris sapientia, & probitas aded perspecta est, vt fides ei possit adhiberi. Demus autem filiam esse: an id agi tutâ conscientia possit, vt eam pater neget, affirmet suam auidos illi ex legitima cum alijs fratribus accipiendâ portione designetur? Negatiuè profectò respondendum, si talis filia Catastrophem istam ignoret; si autem sciat, suo agere iure potest. Primum constat ex dictis, quia ad æternam parentum suorum ignorantiam condemnatur. Secundum item; quia vt diximus, ætatem habet, & quid sibi expediat potest peruidere. Quod si tacente patre res iuridicè probetur, non tenetur testamento attestatorem in testamento per probationes in contrarium elidi. Cap. Transmissæ, qui filij sint legitimi; ibi standum est verbo viri, & mulieris, nisi certis indicis, & testibus, tibi constiterit filium esse illo- rum iuuenem memoratum. Quod ad legitimam verò attinet, potuit quidem ita disponi, & secretò peragi, inter Soceros, & Generum rerum istarum peritissimum, vt nihil contra filiorum ius in legitime assignatione iniustum misceretur, Senatoris vxore melioratâ, non publicè, sed secretò, vt sic nepti æqualis legitima cum legitimis

filiorum obueneret. Non ergo ex hoc capite damnanda venit transformatio ista neptis in filiam, sed ex alijs dictis, si ignoratio fuerit diuturna.

*Estimatio fame quantum in hoc casu debeat prauales.*

144 Nisi fortè tanti æstimeretur Senatoris fama, vt videatur omnibus præfatis naturæ iuribus præferenda. Cum enim illi intentata lis fuerit de matrimonio sine licentiâ contracto, & nata ex eo filia, ipseque constanter semel, & iterum se defenderit probationibus in contrarium; si res tandem detegatur, manifestum fiet contra veritatem illum militasse, quod in iudice supremo in ordine constituto semper indignum apparebit. Ne ergo periclitetur honor, res secreta retinetur, nec filia ipsi aperitur, quia nec filia aded fidi potest, ob periculum in eo sexu communibus experientis comprobatum. Pro quo Aristophanes apud Stobæum sic ait.

*Femina secreti nescia.*

*At quid interest, siue mulieri Siue omnibus in foro præconibus narrare?* Quod & de coniunctissimis accipiendum iuxta firmiorem propheticum sermonem Michææ 7. Michææ. v. 5. *Ab ea, que dormit in sinu tuo, custodi claustra oris tui:* vbi D. Hieronymus sic ait: *Inter chara nomina, & sanguinitatis affectus rara est fides. Chara autem nomina inter consanguineos, filius, & filia, frater, & soror præ alijs sunt: sed femineus præsertim sexus designatus, dum dormientibus in sinu ea aut infidelitas aut infirmitas expröbratur. Hoc ergo in casus contingentiâ ponderandum; sed non politicè tantum cum Christianus potius in negotio conscientie debeat respectus prauales.*

*D. Hieron.*

145 Vbi illud addendum, Senatori asserenti talem esse filiam omnino credendum ab eâ, de qua est quæstio, etiam si contrarium sit testamento declaratum, quia vt non credatur testamento; ea ratio esse potest, de qua dictum, voluisse scilicet illos indemnitati Senatoris eiusdem generi sui consulere officioso mendacio, in quo graue peccatum non esse, potuerunt bonâ fide existimare. Vt autem Senatori non credatur, nulla esse ratio potest; tum ob personæ dignitatem, tum quia nullum ex eo emolumentum reportat, & quia, vt sibi credatur, irrefragabiles adiciet coniecturas. Vnde hic locum habet decisio Cap. Transmissæ citata; quia per apertas probationes testimonium in testamento aliter asserentium infirmatur. Vnde & si per testes probetur illam non esse filiam. Idem dicendum; quia si testibus in extremo vitæ positus non creditur in hoc casu, multo minus est credendum alijs, cum in rebus huiusmodi doceat experientia non multum legales esse solitas ciuium depositiones. Pro quibus non plura.

*Ea de qua agitur ut credere debeat de centi suam esse filiam.*

**C A P V T XVII.**

*De obligatione secreti in Auditoribus Indicis.*

146 Pro illius obseruatione, dum officij possessionem accipiunt, iuramentum emittunt; vnde manifestum est ad illius custodiam obligari; & quidem sub mortali quando negotium, de quo tractatum in con-

*Iuramentum de secreto, quod emittunt Auditores quomodo clau*

obligat. & quod ali- quando non fit sub mori ali obligatio.

Notanda ad Trina.

Iuramentum de re leui, tantum sub veniali obligare. Sed eam doctrinam non bene applicari in casu praesenti.

Affertio 1. Suffragia Collegarum posse aliquando reuelari.

Narrationes pro illa opportuna.

clauis aulæ iudicialis est, tale fuerit, vt ex reuelatione eius, vel suffragiorum circa illud, graue possit inconueniens pullulare. Quando autem graue, quando vero tale non sit, ex rerum circumstantiis aestimandum. Si illud adnotemus, leuitatem non debere iuxta communem aestimationem agendi ratione leue esse potest, in eo, de quo loquimur, debet multoties graue cenleri. Exempli gratia: Si quis dicat aliquem in conuersatione priuata amicorum mendacium dixisse, grauius non peccat, vt communiter tradunt Scriptores; si autem de Auditore hoc diceretur, in dicenda scilicet sententia mendacio vsum, graue videretur fore peccatum, quia hoc valde illius opinioni incommodat, & si propalatum sciret, materia grauis doloris existeret; & hoc quidem secluso iuramento, quod videtur nouam materiam non concernere, sed obligationem ex se grauem ita firmare, vt secretum fregisse sacrilegium sit, & ita mortale peccatum. Neque enim videtur dicendum leuia in eo genere, quæ esse profecto possunt iuxta dicta; addito iuramento esse venialia sacrilegia, iuxta communem sententiam P. Suarij, & complurium aliorum, quos adducit & sequitur P. Vincentius Tancredi de Religionem Tract. 4. Disp. 6. Quest. 1. dicentes iuramentum de re leui non esse mortale; licet alij ab eodem adducti teneant contrarium. Hæc enim doctrina vera est, quando iuramentum cadit supra leuem materiam; quod in casu nostro non contingit. Togatus enim secreti custodiam iurans, de materia leui non cogitat, sed de graui, quia id est conforme intentioni legislatoris, dum iuramentum emittendum statuit. Sicut enim de minimis non curat Princeps, vt ea seruanda cum iuramenti obligatione decernat. Quibus ita constitutis, pro ampliori explicatione.

147 Dico primò, suffragia collegarum reuelare, non est semper mortale. Id probò: nam multoties ex reuelatione non sequitur inconueniens, quia partes nequeunt contra suffragantes grauem offensionem incurere; immò quandoque etiam ad indignationem temperandam opportunum accidit, dum modò in parte contraria nihil simile timeatur. In quodam Indiarum prætorio quidam vir non ignobilis litigabat; & ex Auditoribus vnum sibi putabat aduersum. Aderat cum subcella ascenderent, & cum descendentes, aut post secretum confessum exirent; & cum singularia honoris signa exhiberet alijs, vni illi vix se præbebat vrbanius, à quo nihil sibi commodum expectabat. Et tamen vnus ille præcipuus erat causæ talis litigantis defensor. Vnde Senatores illi hominis mirabantur errorem, & officia erga se ipsos adeò inæqualiter dispensata. Si ergo tunc illi aliquis eorum veritatem aperiret, non videtur de iuramenti violatione damnandus; nisi pars collitigans ex eo indignationem consimilem conceptura crederetur. Simile quid in Limano hoc prætorio accidit, de quo testari possum. Auditor enim ex aliâ Audiencia promotus, quorundam narratione constanti, Religionis nostræ rebus putabatur aduersus. Cumque in negotio quodam Iudicium discordia fuisset, & res eius accessu feliciter terminata; nulli in mentem venit præfatum dominum fauoris

quidquam contulisse; & tamen secus acciderat testimonio enim collegæ id mihi perspectum, qui & diceretur potuit conscientia suæ moderatori, & vt Religio suspicionem illam deponeret, quæ, vt dici apud nos solitum, bonum sanguinem nequit creare.

148 Dico secundo. Quidquid intra Conclauem geritur, cuius reuelatio in Auditorum de decus cedere potest, non stat sine lethali culpa reatu. Exemplo sit, quod nunc in ore habetur complurium: Auditorem, inquam, de cuius integritate communis est vox, & cuius suffragium, iustitiæ suffragium dicitur, à Prorège grauius reprehensum; cum Religiosorum quorundam negotium satis turbidum ageretur, eò quòd eorum supremum Prælatum sibi Compertem elegisset in nati nuper filij Baptismo: cum tamen non sit credibile eam ob causam Auditorem præfatum iustitiæ limites transgressurum. Sed erunt, qui aut erudent, aut suspicari poterunt audità reprehensione, temerè ab aliquo pariter confidente vulgata. Non ergo sine lethali culpa reatu stabit huiusmodi publicatio, & similiter de alijs iudicandum.

149 Dico tertio. Senatori frangenti secretum in re graui potest Prorèx penam condignam imponere. Quod probatur ex generali doctrina, quam cum multis tradit Dom. Solorzanus Lib. 4. Cap. 4. num. 79. & seqq. Prorègem scilicet ob grauia crimina posse Auditores punire vsque ad officij priuationem. Est autem reuelatio secreti non solum graue peccatum, sed sacrilegium, vt vidimus, & politica gubernationi valde exitiosum: libertati enim in iudicando aduersatur, & consequenter iustitiæ. Nam timere meritò quiuis poterit ex reuelatione suffragij sui grauia illi incommoda superuentura, & ita illud non iustitiæ, sed proprio commodo attemperandi non leue periculum est; vnde priuati officio reuelator talis legibus Lusitanis, inhabilis ad alia redditur, & penam perituri plectitur. Pro quo vide Patrem Fragosum Tom. 1. pag. 668. in principio; neque id mirum cum criminis huius reus apud Romanos dignus combustionem, aut furcâ duceretur. Sic Paulus. L. Si quis. §. de pœnis.

150 Dico quarto. In Indijs specialius vrgetur, quod de obligatione secreti dictum est. Tum quia minus tutò credi potest communiter, seu vt in plurimum loquendo. Pruritus enim nouitates sciendi, & audita profeminandi, in his terris peculiaris. Tum etiam quia litigantes liberioris vindictæ habent facultatem. Tum præterea ex eo quòd Auditores plus aestimationis debent his in partibus accurare, iuxta dicta Cap. 1. Nichil autem eos sic reddere ludibrio dignos poterit, quàm si secreti violatores habeantur. Pro quo est illud Horatij Sermon. Lib. 1. Sat. 4.

Commissa tacere Qui nequit, hic niger est, hunc tu Romane caueto. Verè niger, & mancipio similis Æthiopico, cui honor nullus debeat. Sed, & Siracides sic locutus Eccli. 27. v. 17. Qui denudat arcana amici, fidem perdit: Quod exponens P. Cornelius ita scribit, Fidem id est opinionem, creditum, & nomen fidelitatis perdet apud amicum, vt cum aspernetur, seu perfidum, & prodicorem &c.

Affertio 2. Peccari in eo grauius, si in Collegarum cedat detrimentum.

Affertio 3. Et sic peccantem posse à Prorège puniri.

Que pœnis ex Legibus Lusitanis, & iure Casaræo.

Affertio 4. In Indijs obligatio nem secreti magis vrgere.

Horatiud.

Eccli. 27. v. 17.

P. Cornelius.

CAPVT XVIII.

De obligationibus Togatorum iudicum pro criminibus puniendis.

§. I.

Quedam cum reis agendi ratio in eisdem improbata.

151 Agit de illis specialiter Dom. Solorzanus Lib. 4. Cap. 5. & in Politicâ Lib. 5. Cap. 5. in cuius discursu pauca ad conscientiam spectantes quæstiones occurrunt, circa illas autem, & alias

Affertio 1. Peccare grauius Iudices Curia intercessionibus deservendo.

Que admittenda.

Cassiodoru.

3. Reg. 20. v. 42.

Affertio 2. Grauius etiam peccare dum honoratiores homines dimittunt impunitos.

Contra legum mentem id esse.

Exemplum ex Scriptura vrgens.

Dico primò. Frequens in Indijs querela est, & non sine frequentibus etiam fundamentis, multum apud præfatos iudices valere intercessiones, & ita iustitiæ cursum legitimum impediri. In quo quidem quàm grauius delinquit contingat manifestus est, quàm vt eget probatione. Animaduertant illi, an qui intercessionibus suis reos conantur à iudiciali sententia eximere, iudices ipsos ab æternæ damnationis pœnâ sint etiam erepturi. Luat ergo temporaliter reus, ne iudex æternaliter crucietur. Suscipienda precatio est, quæ publicis utilitatibus non repugnat, & amplectenda desideria priuatorum, quæ sic remedium querunt, vt nobis non videantur generare dispendium. Vt aliàs Theodoricus apud Cassiodorum Lib. 5. 6. Formidanda Prophetæ à Deo ad Achabum missi comminatio: cum Benadab regem Syriæ illæsum abire iussisset, in hunc modum fulminata: Hæc dicit Dominus: Quia dimissisti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima eius, & populus tuus pro populo eius. Quod sibi dictum pusilli cordis Iudices arbitrentur, si dignos morte dimittant, vt, & qui nocent, noceant adhuc, & graui alij pœnæ obnoxios, impunitos, vt qui in sordibus sunt, fordescant adhuc, & Christiana Respublica volutabrum immundorum animantium fiat, quæ habitaculum esse debuerat Angelorum. Et hoc, quia hic vel ille sic fieri rogant, Dei & conscientia imperio non curatis.

152 Dico secundo. Ea non videtur probanda politica, iuxta quam rei infamiam criminum dimittuntur, quia honoratiores ob officium aliquod ex honestioribus habitum, aut ob ingenium parentelam, vel quia Hispani sunt decenti ornatu, vbi Hispanum esse, & decenter ornatum incidere, quidam videtur excellentiæ gradus, ob viliorum hominum turbam ex Æthiopicibus, Indijs, & mixtim progenitis comparatam. Ratio est clara, nam leges, quæ pœnâ delictis statuunt exceptione istam non apponunt; & vbi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. Vt est vulgatum axioma, sicut & illud: Quod lex non dicit, nec nos dicere debemus. & aliud simile & satis ad intentum: Quod lege non cauetur, in praxi non habetur. De quibus Auctores adducti à Dom. Solorzano Tom. 2. lib. 2. Cap. 18. in fine. Dei comminationem audiuius: Quia dimissisti virum dignum morte. &c. Et quis virilis? Rex Syriæ, quem Deus morte dignum declararat, dum ob blasphemiam in ipsum, ac eundem, & plebem innumeram,

singulari prouidentia gladio Achabi subiecerat, pariter puniendum. Videatur P. Gaspar Sancius in eum locum. Et quidem praxis vniuersi orbis Christiani sic habet, quam præfati iudices melius me norunt: & quàm notanda rei huius exem- pla in Hispania conspecta, nobilissimis multis ordinaria legum pœnâ, infamia ob crimina, castigatis. Et certè si hoc non ita fiat, pessimè est publicæ utilitati consultum. Furta enim leuioris momenti vilissimi homines solent committere: grandiora in hoc genere facinora, & vt poëta loquitur, maioris abollæ, homines nigri pallij, vt dici apud nos solitum, aggrediuntur. Si ergo ad hæc Iudicum conuientia descendere pœnas impediatur, damnis maioribus minori, quàm leuib, studio prouidetur. Quo malo nullum videtur in Republica posse maius inueniri. Et certum aliàs est, cum lex aliquos voluit exceptos, eosdem expressisse: vt constat ex l. 2. §. Postea cum Appius D. de origine iuris. In qua statuitur transfugam non esse transfugarum pœnâ afficiendum, qui multos postea transfugas, ac latrones deprehendendi auctor fuit.

153 Bene verum est. Pœnas in ordinarijs iudicijs esse arbitrarjas, quia leges non possunt exprimere omnes circumstantias, & ideo arbitrio iudicantis est remissa facultas, vt secundum facti contingentiam possit pœnam minuire, vel augere. Quod communiter tradunt Doctores iuxta l. 1. §. l. Milit. D. de custodia reorum, aliosque. Quod si tale aliquid circa præfatos accidat, hac le tueri doctrinâ possunt. Sed aliud est minuire, aliud penitus aboluere, quod Principij proprium est, & dicitur esse de regalibus: pro quo videantur Auctores apud P. Fragosum Tom. 1. pag. 479. num. 263. Deinde etsi minui possint, non tamen ob titulum explicatum sic generaliter acceptum, aliàs, vt dixi, non erit Reipublicæ securitatis consultum, si pœnæ maioris momenti solis sint miseris Indijs, Æthiopicibus, & mixtim progenitis imponendæ. Et in legibus quidem multis pœnæ cum discrimine personarum assignantur, & maior personis vilibus, quàm ingenuis solet indici. Quando ergo indiscriminatim pœna imponitur, signum est Legislatoris voluntatem talem esse, vt pœna talis vniuersos comprehendat. Circa hoc ergo grauius possunt delinquere criminis Auditores.

154 Pro Indijs autem potest casus occurrere, in quo locum habere præfata queat politica: si videlicet aliquis ex conquistorum progenie crimen aliquod grauius luendum committat; huic enim videtur pœnam posse remitti, iuxta doctrinam Tiraquelli de pœnis temperandis, causâ, 49. per totam, præsertim num. 13. & 14. Vbi ait delinquentium pœnas remittendas, aut minuendas, propter propria, aut maiorum in Rempublicam merita, ac beneficia. Addens tamen hoc ita faciendum, nisi delicta atrocissima, grauissimaque in eandem Rempublicam fuerint perpetrata. Cum ergo in Indijs nulla maiora esse merita possint, quàm Conquistatorum, legitime ex eo deducitur, quando descendentes ab illis grauia delicta committunt, posse à iudicibus pœnas à legibus impositas temperari. Quia verò, si hoc illi sibi persuadeant, fieri insolentes possunt, & legum ac Iudicum contemptores, quod re- gionibus

Et ratio aperta.

Pœnas esse arbitrarjas.

Sed eâ doctrinâ non se posse iudices absolui tueri.

Circa Conquistatorum progeniem fauorabilia doctrina.